

omnes improbi servi. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili; sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi et abjecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos?

Cap. II. An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat, quod videtur: qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet. Poscit? dandum est; vocat? veniendum; eicit? abeundum; minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque ut in magna familia sunt alii lautiores (ut sibi videntur) servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii; pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magna nimio opere delectant. At sumus, inquit, civitatis principes. Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui unguunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius servitutis locum paene infimum obtinent. Magna, inquis, bella gessi; magnis imperiis, et provinciis praefui. Gere igitur animum laude dignum. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Mitto, unde sustuleris, et quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem quum video, servum te esse ineptiarum omnium judico. Nonne igitur sunt ista festiva? Sint. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret, matellionem Corinthium cupidissime tractan-